LION

OEDIPUS REX QUO TEMPORE
A SOPHOCLE DOCTA SIT

OEDIPUS REX

QUO TEMPORE A SOPHOCLE DOCTA SIT

QUAERITUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

SCRIPSIT

CAROLUS THEODORUS LION

GOTTINGENSIS.

GOTTINGAE

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

(GUIL. FR. KAESTNER.)

MDCCCLXI.

1882, April 24.
Salisbury fund.

Quanquam ad ingenium poetae cuiusque recte perspiciendum multum interest scire, quo tempore carmina sua composuerit, ut intellegamus, qua via ab initio ad summam artem omnibusque numeris absolutam pervenerit, tamen hucusque persaepe viri doctissimi in temporibus disquirendis frustra operam consumpserunt; quae quidem quaestiones plerumque summis laborant difficultatibus. Cuius rei causa in eo quaerenda est, quod veterum testimonia, quae omnem dubitationem dirimere possent, tam rara sunt et plerumque ita comparata, ut quo tempore carmina nata sint illis constitui nequeat. Quod vel maxime quadrat in Sophoclem, cum difficillimum sit accurate definire quo tempore fabulas docuerit vel scripserit. Sic Philoctetam solam esse constat fabulam, quae in hac re nullam iure praebeat dubitationem, cum in argum. graeco expressis verbis dicatur: *ἐδιδάχθη ἐπὶ Γλαυκίππου*, qui fuit archon Ol. 92, 3. Ac probari quidem potest certis testimoniis argumentisque Antigonam doctam esse Ol. 84, 4 = 441 a. Chr. n. Sed Electra, Aiax, Trachiniae quibus temporibus doctae sint, non nisi incerta possumus assequi coniectura. Neque rem melius sese habere cognoris, si Oedipum Regem et Oedipum Coloneum respexeris. Nam usque ad hoc tempus viri doctissimi de tempore, quo prior fabula docta sit, diversissimas proposuerunt sententias. Itaque sane operae pretium est denuo hanc quaestionem in medio proponere, ac fore speramus, ut primum quomodo iam res se habeat, deinde quid pro certo habere possimus, clarius appareat. Ut quem ad finem perventuri simus, hic statim indicemus, quanquam quaestionem difficillimam ita ut nulla restet dubitatio nos diiudicaturos esse non promiserimus, inveniemus tamen summam certe verisimilitudinem, quam saepe si veritas ipsa inveniri non possit, nobis

sufficere debere omnibus notum est. Itaque quidquid ad rem nostram facere potest, quam accuratissime investigandum erit, maximeque videndum quid locum habere non possit neque iam iure hic afferatur: ita enim optime viam nobis munierimus, qua ad veritatem quam proxime accedere, si minus ipsam attingere liceat.

Primum veterum quae ad quaestionem nostram pertineant, testimonia diligenter examinare propositum est.

Caput I.

Ex argumento huius tragoediae haec possunt afferri: „*εἰσὶ δὲ καὶ οἱ πρότερον, οὐ τύραννον αὐτὸν ἐπιγράφοντες, διὰ τοὺς χρόνους τῶν διδασκαλιῶν καὶ διὰ τὰ πράγματα.*“ Fabula igitur ante Oedipum Coloneum acta esse dicitur; at hoc nihil valet, cum aeque ignoremus, quo tempore hanc poeta ediderit.

Ita factum est, ut viri docti alios locos, qui huc pertinerent, summa quaererent diligentia neque tamen ullos possent invenire nisi duos, qui exstant apud Athenaeum X p. 453 E et VII p. 276 A. Primum igitur videndum, quid his tribuendum sit.

Nostris temporibus viri doctissimi de grammatica eius, de quo hic legimus, Calliae tragoedia accuratius dixerunt [1]), qui diversissimas de ea sententias protulerunt, sed eorum litem hoc loco dirimere longum est nec virium mearum imbecillitas huic proposito quam difficillimo sufficiat. Vel etiam dubito, utrum omnino quisquam ei satisfacere possit; neque enim multum nos prohibet cum Bernhardio [2]) dicere: Athenaeus macht uns wieder einmal unmöglich von seinen gedankenlosen excerpten den rechten nutzen zu ziehen. At ea certe, quae ad quaestionem nostram facere possint, eruere conabimur.

---

1) Qui hanc quaestionem accuratius tractare velint, eos referimus ad G. Hermannum in observationibus de Graecae linguae dialectis vel opuscc. vol. I p. 137 sqq., F. G. Welckerum in Welcker. et Naek. Mus. Rhen. vol. I. Bonn. 1833 p. 137 sqq., Th. Bergkium in commentatt. de reliquiis comoediae Atticae antiquae, Lipsiae 1838 p. 116 sqq., Bernhardium in Grundr. d. gr. Literaturgesch. p. 28 sq. vel p. 578 ed. I.

2) l. c. p. 29.

Atqui ei quem priorem attulimus loco nihil tribuendum esse videtur. Sed quae loco altero Clearcho Solensi auctore referuntur, non ita sunt comparata, ut iure de eis dubitetur: fieri enim potuisse, ut aliquam vim ille poeta grammaticus in Sophoclem et Euripidem exerceret, etiam Bergkius de reliq. com. Att. ant. p. 119 existimavit. C. F. Hermannus quidem [1]) hoc statui posse negavit, cum duos eos qui apud Athenaeum leguntur locos commisceret, et contra hanc sententiam attulit eum, qui in Antigon. v. 1031 exstat, locum, quo iam vocalis in fine trimetri elisa reperiatur. Contra si statuimus duos illos locos ex Clearcho quidem desumptos esse, sed Athenaeum ipsum proprio Marte sed infelicissime quae ei tradita essent priore loco accuratius explicare studuisse omnia bene se habent. Utroque autem loco significatum est Clearchum censuisse Euripidis Medeam, quae docta est archonte Pythodoro Ol. 87, 1 = 431 a. Chr. n., ante Oedipum Regem actam esse. Iam cum priori loco tantum auctoritatis tribuere nolim, non ultra id quod dixi procedere ausus sim, neque affirmaverim quod multi dixerunt Oedipum paullo post Ol. 87, 1 vel postero anno doctam esse. Ut hoc addam, quod Welckerus [2]) affert tragoediam Calliae propterea quod literis Ionicis usus sit ad aetatem Euclidis (qui fuit archon Ol. 95, 2 = 402 a. Chr. n.) pertinere, me non magis quam Bergkium movet, ut eo demum tempore fabulam scriptam esse contendam [3]).

Itaque his duobus Athenaei locis nihil aliud concludi potest nisi Oedipum Regem fabulam post Ol. 87, 1 doctam esse videri. Iam autem exstat aliud quoddam testimonium, quo examinato fabulam ante Ol. 91, 2 doctam esse dicemus.

Dicitur enim in argumento graeco: *χαριέντως δὲ Τύραννον ἅπαντες αὐτὸν ἐπιγράφουσιν ὡς ἐξέχοντα πάσης τῆς Σοφοκλέους ποιήσεως, καίπερ ἡττηθέντα ὑπὸ Φιλοκλέους, ὥς φησι*

1) Quaestionum Oedipodearum capita tria, Marburgi 1837 p. 27.

2) Rhein. Mus. l. c. p. 150.

3) De reliq. com. Att. ant. p. 118: »antequam tale quid publico usu recipitur, vulgari consuetudine dudum fuerit tritum necesse est; itaque etiam Ionicae literae, quarum auctor fuit Simonides (?), Athenis multo ante Euclidis annum usurpatae sunt.« Cf. etiam Bernhardy l. c. p. 29.

Δικαίαρχος. Quaeritur igitur, num quo tempore Philoclis tragoedia, qua Sophoclis fabula victa est, docta sit definire possimus. Ex Aristoph. Av. v. 281 sq. et scholiis in hunc locum cognoscimus Philoclem docuisse tetralogiam, quae Πανδιονίς inscripta erat, earumque fabularum uni Tereo nomen fuisse, quae cum a poetis comicis maxime deriderentur, verisimile est illum his ipsis victoriam de Sophocle reportavisse. Quae cum ita fuerint, poetis illis iustior erat causa, cur eum tantopere irriderent, atque fortasse ita fere loquebantur: Videte, Athenienses, hic fuit ille miserrimus, cui vos palmam de Sophoclis Oedipo Rege concessistis; poetam praestantissimum prae upupa neglexistis. Avium autem comoedia cum docta sit Ol. 91, 2 = 414 a. Chr. n., acta est Pandionis ante hunc annum eodemque quo haec anno Oedipus Rex, si recte coniecimus; de illa vero coniectura, quae iam ab aliis prolata est, non est dubitandum. Iam possumus quaerere, num indicia fortasse quaedam adsint, quibus quo anno Pandionis acta sit, accurate definire liceat; neque hic silentio praetereamus ingeniosum A. Schoelli conamen [1]), quo huic quaestioni satisfacere studuit. Relegat nos ad Thucydidem II, 29, qui eo loco primum narrat Athenienses Ol. 87, 1 = 431 a. Chr. n. cum Sitalca, Terei filio, Thracum rege, societatem inire voluisse, deinde pluribus, quam solet uti, verbis inculcat nullam huic Terei filio cum Tereo rege mythico [2]) necessitudinem intercedere. Iam Schoellius [3]) coniicit eo foedere causam Philocli cur Pandionidem componeret datam esse, cui quidem maxime iniquum visum sit hoc bello ab Atheniensibus adversus Graecos gerendo illos moveri potuisse, ut cum hominibus barbaris, immo cum eis qui iam antiquis temporibus socios perfidos se praebuissent foedus amicitiamque facerent. Concedimus Athenienses tum temporis de ea, quam Thucydides innuit, necessitudine cogitavisse [4]); neque ta-

1) Sophokles. Sein leben u. wirken. Francofurti 1832 p. 163 sqq.

2) Cf. Apollodor. 3, 14, 8, alios mythographos.

3) l. c. p. 166.

4) Conferas quae Boehme ad eum locum annotat: diese kurze mythologische digression erscheint weniger als ein hors d'oeuvre, wenn man sie als gegen eine damals viel gehörte behauptung gerichtet ansicht.

men propterea Philoclem eodem tempore tetralogiam suam docuisse dicemus; Terei enim fabula cum omnino ad eas pertineat, quae saepius a poetis tragicis tractatae sint, illa etiam quovis alio tempore acta esse potest. Ita certe Sophoclem et ipsum Tereum docuisse ex scholl. ad Ar. Av. v. 100 sq. [1]) et ex fragmentis nonnullis, quae ex hac fabula afferuntur [2]), compertum habemus idque Philoclem post eum demum fecisse ex scholl. ad Ar. Av. v. 282 apparet. Si igitur illo anno fabulam aliquam, cui Tereo nomen inscriptum erat, actam esse voluerimus, eadem sane ratione atque Philoclis Sophoclis fabula fuisse poterit.

Eo denique loco, quem nuperrime Bergkius [3]) attulit, nihil potest effici: dicit enim fortasse ad huius tragoediae commissionem referendum esse, quod Eusebius in Chronico Sophoclem et Aristophanem claros haberi adnotaverit Ol. 86 [4]), Syncellus Ol. 88 adiuncto Eupolide, qui primam docuerit fabulam Ol. 87 [5]). At primum plane incertum est, quanam tragoedia Sophocles tunc victoriam reportaverit; deinde vero omnibus notum est Oedipum Regem non vicisse, sed victam esse, quam ob causam eo anno poeta neque recte *γνωρίζεσθαι* dici neque cum aliis, quorum fabulae vicerant, ita poterat componi. At dixerit ille: „quamvis Philocles Sophocli palmam praeripuerit, tamen Sophoclis tragoedia omnium confessione praestantissima est habita," ac recte dicit, si de iudicio eo cogitat, quod posteris temporibus omnes de ea tulerunt, sed recte eum dixisse negandum est, si putat paullo postquam fabula acta sit Atheniensibus errorem fuisse obvium, quem etiamsi cognoverunt, tamen id chronographis illis nullam dabat causam, cur alii poetae atque ei qui re vera vicerat victoriam tribuerent. Itaque quod illi

---

1) *ἐν γὰρ τῷ Τηρεῖ Σοφοκλῆς ἐποίησεν αὐτὸν ἀπωρνιθωμένον καὶ τὴν Πρόκνην. ἐν ᾧ ἔσκωψε πολλὰ τὸν Τηρέα.*

2) Cf. Nauck. tragicc. graecc. fragmm. p. 204 sqq.

3) Soph. tragoediae, Lipsiae 1858 p. XXXV. n. 135.

4) Quanquam h. l. haec tantum leguntur: Sophocles tragicus cognoscebatur *Σοφοκλῆς ὁ τραγῳδοποιὸς ἐγνωρίζετο.*

5) Apud Syncellum I 489 ed. Dindorf. haec legas: *Ὀλυμπιὰς πζ. Εὔπολις καὶ Ἀριστοφάνης κωμικοὶ Σοφοκλῆς τε ὁ τραγῳδοποιὸς ἐγνωρίζετο.* Hinc igitur paullulum mutanda, quae v. d. attulit.

narrant, ad aliam Sophoclis fabulam est referendum. Si vero ab initio Sophoclis tragoedia ab omnibus praestantissima esset habita, ei certe victoriam non denegassent.

Quibus expositis, Oedipum ante Ol. 91, 2 = 414 a. Chr. doctam esse, non iam in dubium vocabimus, verisimile tantum est actam post Ol. 87, 1.

Caput II.

Particula I.

Iam pervenimus ad alteram eamque principalem quaestionis partem, qua in ipsa fabula temporis quo docta sit vestigia indagare atque investigare propositum est.

Tota expositio cum hic ex sententia quadam generali pendeat, de hac primum nonnulla dicenda erunt. Cum veterum vita maxime in republica versaretur, plane rerum naturae convenit poetam aut certo consilio aut opportunitate eorum quae proponat tanquam abreptum saepissime vel bona vel mala aequalium facta notare iudiciumque de eis proferre. Atque permulti cum eandem sententiam tuerentur, omnes locos, quibus Sophoclem ad tempora sua respexisse putabant, summa diligentia conquisitos indicaverunt, et quid inde de tempore quo docta sit tragoedia concludi posset, summo ingeni acumine usi explicuerunt. Vel maxima autem cautione in eis locis tractandis opus esse facile intellegitur: saepius enim fit — et cur fiat, facilem habet explicatum — ut talia certo consilio quaerentes ea invenire nobis videamur, quae revera eo quem nobis effingimus sensu dicta non sunt, neque eum inferre conati essemus, si nullo iudicio ante capto ad fabulam accessissemus. Certi igitur fines in hac re tenendi sunt, quos impune transgredi non licet; maxima vero difficultas in eo ipso posita est, quod ubi consistamus accurate definiri non potest. Itaque factum est, ut viri doctissimi saepius hos fines transgrederentur, cum aut divinandi ingenio aut praeiudicio quodam iusto latius abducerentur. Iam ita procedere volumus, ut primum quantum eorum sententiae inter se differant exponamus, et quo res cum ea quaestio excuteretur, paullatim devenerit, breviter enarremus, deinde quid recte a vv. dd., quid falso dictum sit, quae-

ramus, postremo nostram sententiam proferamus, argumentisque firmare studeamus.

Possumus uno omnes quae prolatae sunt sententias conspectu comprehendere, si eas tribus ducibus subiungimus. Qui primam partem duxit, fuit Musgravius, qui censuit Oed. Reg. v. 873 sqq. ad Alcibiadem referendos esse; cuius sententiae adstipulatus est inprimis G. Hermannus, qui ad v. 873 Sophoclem cum hanc fabulam scriberet, octogenarium fuisse suspicatur.

Exstitit autem contra hos causamque suam diligentissime egit C. F. Hermannus in quaestt. Oedipod. capp. III p. 25 sqq., qui cum Boeckhius [1]) propter duos eos qui apud Athenaeum exstant locos Oedipum Regem post Euripidis Medeam, hoc est, post Ol. 87, 1 editam esse dixisset, iam missis his argumentis, nihilo tamen secius aliis argumentis ductus et ipse eandem cum Boeckhio Olympiadem tueretur adeoque ipsum illius Olympiadis annum tertium exeuntem = 429 a. Chr. n. fabulae Sophocleae natalem non sine aliqua certitudinis specie constituisse sibi videretur. Atque alia de quibus dicit argumenta duobus licet comprehendere, quorum alterum in eo versatur, ut pestilentiae commemorationem in exordio fabulae aptissime ad id tempus referri dicat, alterum, ut sub Oedipi persona Periclem a poeta exagitatum esse arbitretur. Quam opinionem ante C. F. Hermannum etiam F. Schultz [2]) et ipse Iacobum [3]) secutus protulit. Cui nuperrime assensus est Th. Bergkius [4]) et Bernhardius [5]). Neque tamen G. Hermannus sententiam mutavit;

1) Graecae tragoediae princip. etc. p. 138.

2) De vita Soph. Berolini 1836 p. 84 sq.

3) Quaestiones Sophocl. p. 287: Oedipum fabulam post Euripidis Medeam, hoc est, post Ol. 87, 1 doctam esse ponunt; ego vero ex pestis in ea descriptione illa eam ad Ol. 87, 3 aut 4 referendam esse coniiciam.

4) L. c. p. XXXIV sq.: Oedipus prior quo tempore a Sophocle sit doctus, non est proditum, probabiliter tamen C. F. Hermannus coniecit actam esse fabulam initio belli Peloponnesiaci, cum Athenae graviter pestifero morbo laborarent, Ol. 87, 3.

5) L. c. p. 322: *Οἰδίπους*, das frühere stück, später *Τύραννος* benannt, aus ungewisser zeit; die schilderungen im eingange können aber glauben machen, dass Sophokles sie beim beginn des Peloponnesischen krieges im frischen eindruck der attischen pest schrieb.

nam cum in Zimmermanni Z. f. A. 1837 p. 793 sqq. eius librum accuratiori examini submitteret, postquam eam sententiam refellere conatus est, quae exposuit ita concludit [1]), ut eam pro coniectura quae certis careat argumentis habendam esse dicat ac Musgravi sententiam retinere malit.

Tertia est sententia a Schneidewino prolata, qui [2]) nihil certius definiri posse pronuntiavit, quam editam esse Oedipum post eam, quae Ol. 84, 3 docta sit, Antigonam; minime existimandum esse poetam talia respici voluisse, quae spectari ab eo vv. dd. sibi persuaserint.

His expositis primum C. F. Hermanni sententia utrum ferri possit necne, accuratius examinandum est. Iam disquisitionem de ea eius opinione instituamus, qua sub Oedipi persona Periclem a poeta exagitatum esse censuit. Causae autem cur ita statuerit, si breviter eas proponere licet, hae sunt; dicit inter Athenienses, quae eorum superstitio fuerit, exsistere potuisse, qui nulla alia de causa pestilentiam sibi divinitus immissam crederent, quam quia Pericli summam reipublicae administrandam tradidissent, qui licet non suo ipsius at maiorum crimine deis invisus piaculoque obstrictus esse videretur [3]). Deinde ita pergit, ut dicat maxime optimates, qui Lacedaemoniorum partibus semper faverent, talia iactavisse ipsumque Periclem cum aliquam certe speciem deorum contemptionis prae se ferret, talibus adminiculum quoddam suppeditavisse, „ut facilis sit coniectura inter illius offensae causas, quam Thucydides [4]) refert Periclem eodem fere tempore, quo fabulam nostram editam esse statuimus, apud populum subiisse, impietatis quoque aliquod crimen fuisse, quod ipsi ab optimatum factione conflatum esset, licet Thucydides humanorum magis quam divinorum cu-

1) L. c. p. 802.

2) Sophokles, zweites Bändchen p. 25 sq.

3) Conferri iubet Thuc. I, 127: *τοῦτο δὴ τὸ ἄγος οἱ Λακεδαιμόνιοι ἐκέλευον ἐλαύνειν δῆθεν τοῖς θεοῖς πρῶτον τιμωροῦντες, εἰδότες δὲ Περικλέα τὸν Ξανθίππου προσεχόμενον αὐτῷ κατὰ τὴν μητέρα καὶ νομίζοντες ἐκπεσόντος αὐτοῦ ῥᾷον σφίσι προχωρεῖν τὰ ἀπὸ τῶν Ἀθηναίων κ. τ. λ.*

4) II, 59: *τὸν — Περικλέα ἐν αἰτίᾳ εἶχον ὡς πείσαντα σφᾶς πολεμεῖν καὶ δι' ἐκεῖνον ταῖς ξυμφοραῖς περιπεπτωκότες, — πανταχόθεν τε τῇ γνώμῃ ἄποροι καθεστῶτες ἐνέκειντο τῷ Περικλεῖ.* coll. II, 65.

riosus id tacuerit.“ Postremo autem contendit harum partium Sophoclem quoque fuisse atque simultatem inter eum et Periclem intercessisse, ita ut illum in Oedipo Tyranno tectum huius adversarium iure statuere sibi videatur; quod vero poetae in hac fabula scribenda fuerit propositum, Periclis personae omnino convenire, quae quidem omnia ita tantum vim habere potuisse, si eo vivo proposita sint, quapropter cum vix unum annum ille pesti superstes fuerit, de tempore editae Oedipi Tyranni controversiam amplius non esse futuram.

Huic vero iudicio atque decreto ego quidem assentiri nullo modo possum, neque tamen singula hic refutare necesse est, cum G. Hermannus l. c. ita hoc fecerit, ut si quis iustis causis et rationibus cedere velit, ei plane satisfactum sit. Afferre tantum iuvabit, id quod rem fere decernit absolvitque, quod [1]) illum coniecturis iusto magis indulsisse censens de hac sententia in universum iudicavit: „wie wäre es denkbar, dass die Athener, weil ihr grosser charakterfester Perikles von seiten seiner mutter unter die ἐναγεῖς gezählt werden konnte, ihn mit dem jähzornigen mit vatermord und blutschande belasteten Oedipus verglichen hätten, zumal da der gang dieser tragoedie so sehr die aufmerksamkeit an das schicksal des Oedipus fesselt, dass niemand an solche vergleichungen denken kann, wenn nicht von dem dichter selbst deutlich darauf hingewiesen wird.“

Sed priusquam ad alterum C. F. Hermanni argumentum, quod pro sua sententia attulit transeamus, accuratius consideremus eam, quam Schoellius [2]) statuit, inter Oedipum et Periclem similitudinem.

Primum nos ablegat ad v. 31 sqq., quibus Iovis sacerdos postquam summam civium calamitatem descripserit, ab Oedipo expostulet, sicut antea suae mentis acumine omnibus saluti fuerit, ut hoc quoque tempore pestem removeat atque propellat: talibus nimirum verbis etiam Athenienses Periclem tum temporis adiisse; maximi vero momenti esse v. 56 sq. [3]) propterea quod de navibus apud Thebanos quidem poeta iure dicere non po-

1) L. c. p. 801.
2) L. c. p. 178 sqq.
3) Ὡς οὐδέν ἐστιν οὔτε πύργος οὔτε ναῦς ἔρημος ἀνδρῶν μὴ ξυνοικούντων ἔσω.

tuerit, sed Athenienses cum Pericle auctore [1]) moenibus et navibus sese defenderent, talia in eum iactavisse [2]) atque contra haec etiam Periclem ea quae Oedipus respondeat [3]) respondere potuisse.

Deinde Schoellius ea quae a C. F. Hermanno de Pericle oraculorum contemptore et piaculo Alcmaeonidarum obstricto prolata sint vera esse non omnino negat, quin etiam inter scelera Oedipi et ea, quae Pericli crimini data sint, similitudinem quandam exsistere concedit.

At his omnibus adduci non possumus, ut Sophoclis fabulam eo tempore doctam esse nobis persuadeamus. Nam etiamsi Athenienses Pericli similia atque Iovis sacerdos Oedipo dixerunt, de tempore quo tragoedia docta sit inde nihil potest affirmari. Verbis vero eis, quae v. 57 leguntur: *οὔτε πύργος οὔτε ναῦς*, nihil efficitur; nihil enim aliud significant nisi nullam civitatem etiamsi summis terra marique opibus valeat, quicquam valere viris orbatam. Quae locutio est usitatissima, fere proverbi instar [4]), ita ut mirari non possimus, si poeta ex civitate Atheniensium, apud quos classis maximi erat momenti, ad Thebanos maritima quidem potentia carentes eam referre non dubitaverit. De reliquis, quibus Schoellius cum Hermanno consentit, adeas G. Hermannum, ubi contra hunc dixit.

Deinde vero ille [5]) plane Hermanni sententiam reiicit, Sophoclem eorum civium partem secutum esse, qui calamitatis gravitate depressi variisque agitationibus commoti optimum civem atrocissimorum scelerum accusaverint, negatque poetam sub Oedipi persona, quae summo nos horrore afficiat, Periclem repraesentare et exagitare voluisse. Quam opinionem minime confirmari ea ratione, qua Oedipus in fabula nobis proponatur:

---

1) cf. Thuc. II, 13 sq.

2) cf. Thuc. II, 21: *παντί τε τρόπῳ ἀνηρέθιστο ἡ πόλις καὶ τὸν Περικλέα ἐν ὀργῇ εἶχον καὶ ὧν παρῄνεσε πρότερον ἐμέμνηντο οὐδέν, ἀλλ' ἐκάκιζον ὅτι στρατηγὸς ὢν οὐκ ἐπεξάγοι, αἴτιόν τε σφίσιν ἐνόμιζον πάντων ὧν ἔπασχον* coll. II, 64.

3) V. 59 *εὖ γὰρ οἶδ' ὅτι*
νοσεῖτε πάντες, καὶ νοσοῦντες, ὡς ἐγὼ
οὐκ ἔστιν ὑμῶν ὅστις ἐξ ἴσου νοσεῖ κ. τ. λ.

4) cf. Schneidewin. ad h. l. Poppo ad Thuc. 7, 77.

5) p. 181.

violentiam enim illam et vehementiam, qua in Creontem invehi cernatur, a Periclis firmitate animique tranquillitate maxime abhorrere. Nam cum civium animi vel huc vel illuc traherentur, alii ex urbe egredi et cum Lacedaemoniis pugnare vellent, alii nollent, et hi et illi oraculorum cantatoribus aures praeberent, vel maxime Acharnenses, quorum agri ab exercitu Lacedaemoniorum devastabantur, priorem sententiam defenderent [1]), Pericles solus flecti non poterat, sed in eadem quam antea optimam esse cognoverat sententia permanebat; ne cives animis perturbatis magis quam prudentiae obedientes ad mala consilia capienda abriperentur, nullam concionem convocabat, ipse urbem custodiebat, animos tranquillos reddere studebat [2]).

Recte deinde Schoellius [3]) dicit ab hoc laesum esse neminem, immo hunc ab eis, qui de bona rei publicae fortuna desperarent falsisque suspicionibus in eum incitarentur, in iudicium vocatum eiusque amicos variis criminibus atque calumniis esse oneratos.

Itaque eam quidem sententiam retinet, quam C. Fr. Hermannus de tempore fabulae potulit, sed ita mutatam proponit ut multa quae contra Periclis adversarios dicta esse videantur reperiri dicat; atque Atheniensium potius multitudinem Oedipum eo imitatam esse, quod in summis rerum angustiis fati vim agnoscere recusarent, sed criminibus in Periclem eiusque amicos congestis medelam sibi quaererent. Neque vero contra hunc, sed contra eos, qui non ab eius partibus steterint, dicta esse, quae Creon v. 608 sqq. Periclis causam agens Oedipo obiiciat [4]). Pericli revera nihil nisi tempus tum opus

1) Thuc. II, 21.

2) Thuc. II, 22 in.

3) p. 182.

4) γνώμῃ δ' ἀδήλῳ μή με χωρὶς αἰτιῶ.
οὐ γὰρ δίκαιον οὔτε τοὺς κακοὺς μάτην
χρηστοὺς νομίζειν οὔτε τοὺς χρηστοὺς κακούς.
φίλον γὰρ ἐσθλὸν ἐκβαλεῖν ἴσον λέγω
καὶ τὸν παρ' αὑτῷ βίοτον, ὃν πλεῖστον φιλεῖ.
ἀλλ' ἐν χρόνῳ γνώσει τάδ' ἀσφαλῶς· ἐπεὶ
χρόνος δίκαιον ἄνδρα δείκνυσιν μόνος·
κακὸν δὲ κἂν ἐν ἡμέρᾳ γνοίης μιᾷ.

fuisse, ut populo, cuius amicus honestissimus fuerit, curam suam nulla macula adspersam summamque in republica gerenda prudentiam probaret, atque eis, qui hunc gravissimorum criminum accusaverint et condemnaverint, commendari ea, quae chorus ad Creontis verba addat:

καλῶς ἔλεξεν εὐλαβουμένῳ πεσεῖν,
ἄναξ· φρονεῖν γὰρ οἱ ταχεῖς οὐκ ἀσφαλεῖς,

neque minus ad hos pertinere, quae Iocasta ex aedibus egressa ut altercationi Oedipi et Creontis finem imponeret, exclamet v. 634 sqq.:

τί τὴν ἄβουλον, ὦ ταλαίπωροι, στάσιν
γλώσσης ἐπήρασθ', οὐδ' ἐπαισχύνεσθε γῆς
οὕτω νοσούσης ἴδια κινοῦντες κακά;

Quos locos de Periclis adversariis iure dici potuisse concedamus neque tamen dictos esse constat: bene enim possunt his verbis admoneri cives Athenienses, qui omnino ea aetate maxime vero p o s t m o r t e m P e r i c l i s saepius vitia hic a poeta notata commiserint; ne statuamus quidem necesse est Sophoclem de suis civibus cogitavisse; duobus enim prioribus locis generales proponuntur sententiae, quibus consilia maxime eis civitatibus, apud quas populus summam reipublicae tenet, observanda neque impune neglecta atque omnino omnibus hominibus in vita gravissima contineantur. Neque tertius ille locus multo aliter comparatus est: quidquid enim hoc loco dicitur, optime quadrat ad fabulae personas; neque explicationem aliunde quaesitam desideramus, quanquam id omnibus dicitur, qui Oedipum et Creontem imitati, civium suorum mala non curantes ipsi litigando inter se atque discordia ea etiam aggravent; neque tamen est causa, cur de certis quibusdam hominibus et de certo quod Schoellius alii volunt tempore hic cogitemus. Nihil certe nos prohibet quin multis quoque aliis temporibus id etiam apud Athenienses locum habuisse dicamus [1]).

Maxime vero Schoellius ad suam sententiam comprobandam, qua hic a Creonte Periclem referri sibi persuasit,

---

1) Nisi forte verbis quae sunt *γῆς οὕτω νοσούσης* pestem eam, quae initio belli Peloponnesiaci saeviit, significatam esse arbitramur: sed de hac re infra dicetur.

utitur v. 650 sqq., quibus Chorus, cum Creon iureiurando crimina in se congesta reiecisset, una cum Iocasta Oedipum his verbis rogat, ut fidem ei ne recuset:

Χο. πιθοῦ θελήσας φρονήσας τ' ἄναξ, λίσσομαι·
Οἰδ. τί σοι θέλεις δῆτ' εἰκάθω;
Χο. τὸν οὔτε πρὶν νήπιον νῦν τ' ἐν ὅρκῳ μέγαν καταίδεσαι.
Οἰδ. οἶσθ' οὖν ἃ χρῄζεις;
Χο. οἶδα.
Οἰδ. φράζε δή· τί φής;
Χο. τὸν ἐναγῆ φίλον μήποτ' ἐν αἰτίᾳ
σὺν ἀφανεῖ λόγῳ σ' ἄτιμον βαλεῖν. (Laur. A *λόγον ἄτιμον ἐκβαλεῖν*).

Iure quidem viro docto vocabulum quod v. 656 legitur *ἐναγῆ* magnae fuit offensioni, cum id de Creonte proprio certe sensu dici non posse intellexisset; sed ratio ea, qua id explicare conatur, minime probanda est. Observavit enim id proprie usurpari de Alcmaeonidis et ipsis et posteris eorum [1]), ac Periclem quoque, qui materna origine huius gentis particeps fuit, inter *ἐναγεῖς* relatum esse [2]). Tum autem cum pestis quae divinitus missa esse videretur, in cives saeviret, fuisse qui communem omnium necessitatem ab Alcmaeonidarum culpa derivantes Periclem causam belli atque horum malorum esse iactarent summumque ei periculum concitarent. Ac ne hoc quidem loco Sophoclem Periclis adversariorum causam egisse, sed potius animos excitatos atque iratos permulcente orationis et musicae vi et arte pacare studuisse.

At si cui vocabulo propter dicendi usum legesque is sensus, qui loco desideratur, tribui omnino non potest, non ad artificiosas explicationes refugiendum esse sententiamque a loco plane alienam inferendam, sed ibi coniecturae in iustis rationibus exstructae campum esse, quisquis criticam artem primis tantum labris attigit, haud ignorat. *Ἐναγῆ* v. 656 ei, qui de Creonte intellegi non posse existimaverit, cum de eo necessario accipiendum sit, corrigendum erit, quod optime iam a Th. Bergkio factum est. Itaque suo iure egit Nauckius, qui in editione fabulae Schneidewiniana anno MDCCCLVI emissa con-

1) Thuc. I, 126. Herod. I, 61. V, 70, 71.
2) Thuc. I, 127.

iecturam eius quae est *ἀναγῆ* (cf. Hesych. *ἀναγής· καθαρός*) recipere non dubitavit; neque Bergkius in editione fabulae Tauchnitiana mentem mutavit, cum v. 658 sq. sic emendatos constitueret:

τὸν ἀναγῆ φίλον μηδέποτ' αἰτίᾳ
σὺν ἀφανεῖ λόγων ἄτιμον βαλεῖν.

Quo vocabulo remoto neque de Pericle neque de eius adversariis hic cogitemus necesse est, nec si id retineremus, necesse esset. Eodem certe iure licet cogitare de alio quodam homine, qui alio tempore piaculo contaminatus esse Atheniensibus visus est, sed revera *ἀναγής* i. e. *ἄνευ ἄγους* fuit; sed de ea re infra sermo erit.

Postremo dicit Schoellius (p. 185 sqq.) de stasimo secundo (v. 863 — v. 910), quo temporum eorum conditionem manifeste proditam esse putat. Ac postquam quomodo sententiae quae his versibus continentur cum actione fabulae conciliandae sint explicavit, omnia hic tam generalibus verbis expressa esse dicit, ut non sine iusta causa poetam etiam ad alia quaedam quae ipsius fabulae fines transgrediantur respexisse existimares. Itaque factum esse, ut nonnulli v. 772 sqq. [1]) aperte Periclem significari dixerint atque Atheniensium civitatem ab eo ductam, qui quidem cum magis magisque potentiam atque opes suas augeri vellent atque superbius in foederis sui socios imperium exercerent, malam belli Peloponnesiaci necessitatem adduxerint. Neque tamen eorum opinionem ferri posse, cum verbis quae sint *τὸ καλῶς δ' ἔχον πόλει πάλαισμα* sententia plane contraria contineatur. Nam quod primum iniustitia at-

1) Exscribimus verba ut de qua re agatur facilius cognoscere liceat:

ὕβρις φυτεύει τύραννον·
ὕβρις εἰ πολλῶν ὑπερπλησθῇ μάταν,
ἃ μὴ 'πίκαιρα μηδὲ συμφέροντα,
ἀκρότατον εἰσαναβᾶσ'
ἀπότομον ὤρουσεν εἰς ἀνάγκαν,
ἔνθ' οὐ ποδὶ χρησίμῳ
χρῆται· τὸ καλῶς δ' ἔχον
πόλει πάλαισμα μήποτε λῦσαι θεὸν αἰτοῦμαι·
θεὸν οὐ λήξω ποτὲ προστάταν ἴσχων.

que superbia bellum concitatum esse dicatur, deinde vero deus invocetur, ut eos qui bellum civitati gloriosum gerant adiuvet, conciliari non posse. Atqui eos suo iure haec verba de bello ab Atheniensibus fortiter gerendo accipere, propterea quod πάλαισμα πόλει καλῶς ἔχον de iusto bello magis quam de caede expianda, quam sententiam fabula requirat, dici possit. Itaque ea quae antecedant potius ad adversarios Atheniensium revocanda esse, quos tum temporis fuisse Thebanos [1], si quo tempore fabula scripta sit consideremus, verisimile sit. Nam quod illi pacem violavissent atque hoc facto ipsi in causa fuissent, ut centum et octoginta illi a Plataeensibus interficerentur [2], id nimirum apud Athenienses nomine designatum esse superbiae, quae cum ad summam perversitatem pervenerit magnaeque perniciei fuerit, ipsa in necessitatem inruat, qua firmiter consistere non liceat. Atque cum sane apud Thebanos pauci sua voluntate atque arbitrio tanquam tyranni rempublicam regerent, apud Plataeenses vero Nauclides eiusque factio, ut summam ipsi potentiam atque auctoritatem consequerentur, cives suos prodere conati essent [3], bene ad haec accommodatum esse, quod chorus v. 872 — 878 dicat tyrannide gigni superbiam, quae sibimet ipsa interitum paret. His denique iure opponi gloriosum Atheniensium certamen, quod non solvi et finiri, sed faustis auspiciis disque perpetuo adiuvantibus ad laudem civitatis continuari debeat [4]. Atque causam sane fuisse, cur poeta civibus suis consilium dederit, ut a bello fortiter gerendo ne desisterent: iam tum enim eos de felici belli exitu desperare incepisse neque ita multo post invito Pericle hostibus pacem proposuisse [5].

Reliquam autem stasimi partem ad ipsam hanc referri Atheniensium debilitatem animorumque perturbationem, qua anxie causas irae deorum, religiones violatas anquisiverint. Certum hic facile perspici consilium, id quod etiam rhythmo ante gravi et sollemni iam celeri et incitato exprimatur; atque tam

1) Thuc. II, 2 sqq.
2) Thuc. II, 5.
3) Thuc. II, 2.
4) p. 190.
5) Thuc. II, 59.

certis et definitis poetam uti verbis, ut ex ipsa tantum fabula plane explicari non possint. Iocastam enim quanquam leviter de oraculis iudicaverit, tamen sacra contempsisse et ea quae tangi non liceat nefariis manibus tetigisse dici non posse. Quod v. 883 dicatur *χερσὶν* et v. 885 *οὐδὲ δαιμόνων ἕδη σέβων* (id quod Schoellius de deorum simulacris intellegit), ad eam omnino non quadrare, plane vero accommodatum esse ad ea, quae eo tempore ficta sint, crimina gravissima, propter quae amici Periclis et Phidias et Anaxagoras et Aspasia in iudicium vocati sint [1]). Hoc loco videri ipsum quoque poetam, cum chorum talia faciat dicentem, in Periclem invehi, sed videri tantum: nam facile ea verba inde explicari, quod chorus summo religionis studio plane abreptus animoque vel maxime commotus sit. Quem nimirum summo religionis studio inflammatum sub finem carminis eo procedere, ut ipse deorum reverentiam neglegat ac, nisi poenam eis qui meriti sint tribuere voluerint, se non iam eos culturum esse minitetur [2]). Sed quid ipse poeta his chori sententiis tribui velit, non posse perspici, nisi quomodo eae cum eis quae sequuntur consentiant, consideretur. Eum enim saepius ea dicere videri, quibus si totum locum respiciamus, veram eius sententiam iudiciumque non contineri cognoscamus. Itaque hoc quoque loco poetam ipsum indicare nimis durum iudicium de Iocasta deorum contemptrice [3]) a choro prolatum esse; statim enim v. 911 cerni eam hoc crimine petitam, cum prodeat ad sacra facienda et ad ipsum Apollinem [4]) supplex accedat. Deinde ipsum chorum ab Apolline petere, ut quo genere Oedipus natus sit, patefaciat; quo facto cum res contra spem evenisset, nihil choro relictum esse, nisi ut [5]) infelicissimam Oedipi sortem deploret; et quantum a

---

1) Cf. Plutarch. vita Pericl. 31 sq.

2) Cf. v. 897 sqq. *οὐκέτι τὸν ἄθικτον εἶμι γᾶς ἐπ' ὀμφαλὸν σέβων,*
οὐδ' ἐς τὸν Ἄβαισι ναόν, οὐδὲ τὰν Ὀλυμπίαν,
εἰ μὴ τάδε χειρόδεικτα πᾶσιν ἁρμόσει βροτοῖς.

3) Cf. v. 909: *κοὐδαμοῦ τιμαῖς Ἀπόλλων ἐμφανής.*

4) v. 919 sq.: *πρός σ', ὦ Λύκει'*
Ἄπολλον, ἄγχιστος γὰρ εἶ,
ἱκέτις ἀφῖγμαι τοῖσδε σὺν κατεύγμασιν.

5) v. 1186 sqq.

recta aberraverit, ipsi ex rege audiendum esse, qui Apollinem causam malorum vocet [1]).

Duo igitur sunt, quibus Schoelli sententia de tempore et consilio tragoediae continetur. Atque primum quod de iusto Atheniensium bello et de Thebanis eorum adversariis dicit, recte dixisset si constaret eo, quo censet, tempore tragoediam esse doctam; si minus, nemo de Thebanis hic cogitaverit. Facile sane alicui in mentem venerit poetam ad bellum Peloponnesiacum respexisse, cum certamen civitati bene institutum deorum auxilio ad felicem exitum perducendum esse dicat; sed quodnam huius belli tempus denotaverit, ex his certe verbis efficere non possumus. Neque magis adducimur, ut illo loco Periclem intellegamus; licet etiam alium quemlibet intellegere ex eis, qui post mortem eius in republica gerenda ei successerunt; atque cum Athenienses saepius cum Lacedaemoniis pacem facere voluerint fecerintque Nicia interprete, et bellum cum denuo inciperent, non tam strenue cum his gererent, etiam alio tempore poetam civibus consilium ut fortiter bellarent dare potuisse videmus.

Deinde vero quae de criminibus propter religiones violatas in Periclem eiusque amicos congestis dicit, ea quadrant etiam ad alia belli Peloponnesiaci tempora; nam omnino ea aetate Athenienses superstitione religionibusque falsisque quae inde oriebantur criminibus plus iusto abripi se passi sunt [2]). Itaque maxime si aliud tempus potest inveniri, de quo id vel rectius dicatur, ne hoc quidem argumento, ut illo tempore fabulam doctam esse statuamus, efficitur.

Ex eis igitur, quae exposui, elucere videtur C. F. Hermanni sententiam de tempore quo tragoedia docta sit, si vel quibus ipse eam argumentis vel alii probare conati sint, consideremus vel maxime dubiam esse atque omnino reiiciendam. Iam nihil restat nisi ut quaeramus, num vere dixerint Hermannus aliique poetam in exordio fabulae ad pestem, quae initio

1) v. 1329 sq.: *Ἀπόλλων τάδ' ἦν, Ἀπόλλων, φίλοι,*
ὁ κακὰ κακὰ τελῶν ἐμὰ τάδ' ἐμὰ πάθεα.

2) De qua re conferas quaeso satis multa ea, quae a C. Fr. Hermanno in Handbuch der griech. Staatsaltert. Heidelberg 1855 §. 164 nott. 13, 14, 15 allata sunt.

belli Peloponnesiaci Atheniensium civitatem invaserit, respexisse neque tam accurate hic eam descripturum fuisse, nisi fabula eodem tempore docta esset. Hoc si verum esset, recte sane dixisset Jul. Droysen in Berl. Jahrbb. f. wiss. kritik 1833 vol. 2. p. 127: „der erste Oedipus, der von Philokles wahrscheinlich in den Dionysien Ol. 87, 3 oder 4, den beiden grässlichen pestjahren, besiegt worden ist, gewinnt durch diesen synchronismus für seinen prolog eine wahrhaft erschütternde bedeutsamkeit.“ At id ipsum quod dicit „bedeutsamkeit“ mihi certissime docere videtur fabulam hoc tempore actam esse non posse. Tali enim pestis descriptione animi Atheniensium, si eodem tempore hoc malo omnium gravissimo ipsi opprimerentur, nimis opinor percussi essent. Malorum vero recentium memoriam quam celerrime obliterare studebant neque unquam de bona rerum fortuna plane desperabant: *ἐπὶ τοῖς δεινοῖς εὐέλπιδες* erant ac minus de ipsis periculis quam quomodo eis obviam irent cogitabant [1]). Minime autem tum cum perniciosa illa pestis rempublicam optimo quoque cive privaret, poetae tragico suasissem, ut Phrynichi illius exemplum imitaretur, qui cum fabulam *Μιλήτου ἅλωσις* inscriptam docere ausus esset, propterea quod spectantes magnam hanc calamitatem sibi in memoriam revocari aegre ferebant, poenam mille drachmarum solvere coactus est [2]). Atqui nonnulli hoc ipso argumento usi, quod tragoedia victa sit hinc explicandum esse putant. Iam autem ex eis quae allata sunt apparet hanc certe poenam, si fabula eo quo pestis saeviret tempore acta esset, leviorem futuram fuisse quam ut civium ira placaretur; ac vel maxime veri dissimile est Sophoclem tantum periculum tum temporis suscipere voluisse. Quae denique Schoellius de hac re exposuit p. 176 sq., eis nihil nisi illustratio quaedam sententiae Hermannianae continetur. Recte observavit quae Sophocles dicat v. 22 sqq. nonnullis locis cum Thucydidis descriptione plane concinere; confert v. 27: *ἐν δ' ὁ πυρφόρος θεὸς σκήψας*

---

1) Thuc. I, 68: *ἢν δ' ἄρα του καὶ πείρᾳ σφαλῶσιν, ἀντελπίσαντες ἄλλα ἐπλήρωσαν τὴν χρείαν.*

2) Her. VI, 21: *ἐς δάκρυά τε ἔπεσε τὸ θέητρον καὶ ἐζημίωσάν μιν ὡς ἀναμνήσαντα οἰκήϊα κακὰ χιλίῃσι δραχμῇσι, καὶ ἐπέταξαν μηκέτι μηδένα χρᾶσθαι τούτῳ τῷ δράματι.*

ἐλαύνει et v. 166: φλόγα πήματος cum Thuc. II, 49: τὰ δὲ ἐντὸς οὕτως ἐκάετο, ὥστε μήτε τῶν πάνυ λεπτῶν ἱματίων καὶ σινδόνων τὰς ἐπιβολὰς μήδ' ἄλλο τι ἢ γυμνὸν ἀνέχεσθαι, ἥδιστά τε ἂν ἐς ὕδωρ ψυχρὸν σφᾶς αὐτοὺς ῥίπτειν. Etiam v. 190 sqq. potius Athenienses quam Thebanos designatos esse: illos enim non solum pestilentia sed etiam bello urgeri in urbe inclusos, et quanquam ipsi non pugnent, tamen hoc bello, quippe quae causa fuerit morbi pestiferi, erui atque excidi; de his vero hoc proprie dici non posse. Omnino autem verisimile esse, quod parodo [1], qua dei ad arcendam pestem invocentur, Athenienses precationem pro semet ipsis institui crediderint; idque maxime ratione ea, qua dei invocentur, comprobari. Immo etiam v. 165 sq. [2]) non minus bene in Athenienses quadrare. Relegat nos ad pestem quandam, quam Apollinis iussu Athenienses reducendis Thesei ossibus amovere conati erant, coll. scholl. ad Ar. Plut. v. 627: Ἀθηναῖοι δὲ λοιμώξαντες καὶ κελευσθέντες ἐκδικῆσαι τῷ Θησεῖ, τὸν μὲν Λυκομήδην ἀνεῖλον, τὰ δὲ ὀστᾶ μεταστειλάμενοι καὶ τὸ Θησεῖον οἰκοδομήσαντες ἰσοθέους αὐτῷ τιμὰς νέμουσιν. Mireris hic Schoelli inconstantiam, qui p. 178 ea de peste videtur quidem accipere, sed p. 42 n. 21 hoc loco potius λιμώξαντες [V. Θ. sed λοιμώξαντες, ut videtur, R. Dübner, scholl. in Aristoph. p. 576] legendum esse censet, fortasse propterea quod id coniecturae suae de Sophoclis Triptolemo prolatae favere existimabat. At in his versibus nihil certe quaerendum est; continent enim formam precationis plane vulgarem, quam apud Homerum saepissime inveniri notum est, unde eam facile Sophocles repetere poterat, nisi eam ex vita quotidiana repetiit [3]).

Itaque id, quod verum rectumque est, sine dubio sensit Schneidewinus hisque verbis expressit [4]): „ich halte ferner den Sophokles für zu menschlich, seinen zuschauern den täglichen jammer an dem Dionysischen fest auch auf der bühne vorzuhalten. Läge die Athenische pest wirklich unserm drama vor-

---

1) Cf. v. 151 sq.

2) εἴ ποτε καὶ προτέρας ἄτας ὑπερορνυμένας πόλει ἠνύσατ' ἐκτοπίαν φλόγα πήματος, ἔλθετε καὶ νῦν.

3) Cf. Schneidewin. ad h. l.

4) L. c. p. 26.

aus, so müste es lange nachher fallen, wo es eine schmerzlich süsse erinnerung an überstandene noth auffrischen sollte: ἡδὺ γὰρ σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων."

Caput II.

Particula II.

Iam ut quae mea sit sententia de tempore, quo fabulam doctam esse verisimile sit, primum interna argumenta secutus exponam, ego quoque in stasimo secundo vestigia quaedam, quibus via nobis monstretur, deprehendere mihi videor.

Antequam autem accuratius qualia sint explicem, ne velim neglegas, quod priore commentationis capite probatum est cum quadam verisimilitudinis specie tempus, quo tragoedia docta sit, quaerendum esse inter Ol. 87, 1 = 431 a. Chr. n. et Ol. 91, 2 = 414 a. Chr. n. Deinde eis quae postremo exposui prohibeor, quominus paullo post illum annum fabulam actam esse statuam. Itaque si tempus id probabili coniectura assequi voluerimus, propius ad hunc annum quam ad illum definiendo accedere licebit.

Iam autem si ea quae stasimi secundi antistropha priore et stropha altera continentur de Atheniensium civitate dicta esse recte statuitur, an tempus de quo ea aptius dicantur potest inveniri aliud atque quo Athenienses expeditionem illam adversus Siciliam paraverunt?

Ac primum quidem prioris antistrophae sententia optime huic tempori convenit. Nam quod Athenienses tum se non solum domi bellum gerere sed etiam totam Siciliam sibi subigere posse putabant [1]), et summae erat imprudentiae [2]), et maximae superbiae, cum omnium animi prospera belli fortuna magis iusto elati essent [3]). Atqui tota fere oratio Niciae apud Thuc.

1) Cf. Thuc. VI, 6: ἐπὶ τοσήνδε οὖσαν αὐτὴν οἱ Ἀθηναῖοι στρατεύειν ὥρμηντο, ἐφιέμενοι μὲν τῇ ἀληθεστάτῃ προφάσει τῆς πάσης ἄρξειν.

2) Cf. Thuc. VI, 1: ἄπειροι οἱ πολλοὶ ὄντες τοῦ μεγέθους τῆς νήσου καὶ τῶν ἐνοικούντων τοῦ πλήθους καὶ Ἑλλήνων καὶ βαρβάρων καὶ ὅτι οὐ πολλῷ τινι ὑποδεέστερον πόλεμον ἀνῃροῦντο ἢ τὸν πρὸς Πελοποννησίους.

3) Cf. Thuc. VI, 11: διὰ τὸ παρὰ γνώμην αὐτῶν πρὸς ἃ ἐφοβεῖσθε τὸ πρῶτον περιγεγενῆσθαι, καταφρονήσαντες ἤδη καὶ Σικελίας ἐφίεσθε.

VI, 9 sqq., qua cives suos dehortatur, quominus bellum longinquum ac periculosissimum incipiant, maxime in eo versatur, quod neque ἐν καιρῷ id aggressuri neque ullum inde fructum capturi sint. Primum enim dicit id tempus ad gerendum bellum externum opportunum certe non esse, quo tantam hostium multitudinem domi relicturi sint: nam paci cum Lacedaemoniis factae confidi non posse; alios eo ipso tempore aperte bellum gerere, alios tum certe cum illi bellum denuo gerere inceperint, cum Siceliotis societatem inituros esse. Deinde imprudentium esse hominum adversus eos bellum gerere, qui, si res prospere cedat, sub imperio teneri non possint, si res male gerantur, hostium multitudinem viresque firmaturi sint. Itaque etiam Sophocles cum expeditio pararetur vel iam in Siciliam missa esset, intellexit ac facile sane intellegere poterat eius exitum reipublicae perniciosum fore; atque hanc esse iudicabat ὕβριν, ex qua semper hominibus summa atque gravissima mala nasci veteres non iniuria opinati sunt, atque quod cives tum perficere conabantur, id referebat inter multa ἃ μὴ ἐπίκαιρα μηδὲ συμφέροντα dicebatque, quanquam talia ad tempus a deis ferantur, cum ad summam perversitatem superbia pervenerit, tum eam praeceps inruere in necessitatem, unde nemo facile sese extricaverit. Quid autem sit illud πάλαισμα πόλει καλῶς ἔχον, de quo supra diximus, facile apparebit, si quae Nicias civibus bella gerenda esse existimet comparaverimus. Ac refert quidem eos [1]) ad Lacedaemonios qui diu pacem non sint servaturi; esse quoque neque eos impotentissimos, qui pacis conditiones accipere recusaverint, hisque verbis designat primum maxime Corinthios, quibuscum Athenienses eo ipso tempore bellaverunt [2]), deinde Boeotos, qui initio anni quadringentesimi vicesimi a. Chr. n. Lacedaemoniorum socii facti erant; ipse denique nominat Chalcidenses Thracios, qui quanquam multi post defectionem eorum anni praeterierint, nondum tamen potuerint subigi, et alios quosdam significat, qui κατὰ τὰς ἠπείρους ἐνδοιαστῶς ἀκροῶνται. Atque declarat bellum contra hos

1) Thuc. VI, 10.

2) Thuc. V, 115: καὶ Κορίνθιοι ἐπολέμησαν ἰδίων τινῶν διαφορῶν ἕνεκα τοῖς Ἀθηναίοις.

iustum esse, cum civibus suis obiiciat eos Segestanis quidem, quibus iniuria illata esse videatur, statim auxilium mittere velle, sed iniuriam ipsis iam dudum ab eis qui defecerint illatam non curare, immo eos adiuvare studere [1]). Neque igitur possumus mirari, si Sophocles chorum faciat a deo, quem semper sibi praesidio fore sperat, precantem, ut certamen civitati pulcre institutum ne irritum cadere patiatur.

Ea autem coniectura, quam sententia prioris antistrophae ducti protulimus, eis quae in stropha altera insunt non modo non refutatur sed etiam magnopere confirmatur. Nam cum chorus postremo, quam pio ipse erga deos animo sit, dixerit, ita pergit, ut malum ei imprecetur, qui deos non ut hominem deceat humili et submisso animo colat atque veneretur. Quibus Iocastam videmus significari, sed si quomodo chorus hic in eam invehatur quibusque verbis utatur, accuratius consideraverimus, haec sane si ad Iocastam tantum referantur, maiore cum vehementia quam veritate prolata esse videntur neque iniuria poetam hic eis, quae a suis civibus facta essent vel fierent, abreptum talibus verbis uti existimamus. Neque vero cum Schoellio ad Periclem hic alludi censueris; via enim, qua nunc ipsum incedimus, semel ingressa, statim Alcibiadem hic significari statueris, ac verba et ad huius causam et ad haec tempora multo magis accommodata esse intellegas.

Primum enim si ad antistropham redimus, quod v. 872 legitur *ὕβρις φυτεύει τύραννον*, proprie quidem de Iocasta intellegendum est, atque totam, quae in antistropha inest, sententiam ad partem aliquam civium Atheniensium referri posse exposuimus, sed optime quae hic dicuntur quadrant in eum, qui huius factionis princeps fuit, Alcibiadem. Neque hoc nos temere censere concedes, si quae Thuc. VI, 27—29 et maxime capite sexagesimo narret inspexeris et inprimis tecum reputaveris verba, quae hoc loco leguntur: *πάντα αὐτοῖς ἐδόκει ἐπὶ ξυνωμοσίᾳ ὀλιγαρχικῇ καὶ τυραννικῇ πεπρᾶχθαι*, et quem locum etiam Musgravius pro sententia sua attu-

1) Thuc. VI. 10: *ἡμεῖς δὲ Ἐγεσταίοις δὴ οὖσι ξυμμάχοις ὡς ἀδικουμένοις ὀξέως βοηθοῦμεν· ὑφ᾽ ὧν δ᾽ αὐτοὶ πάλαι ἀφεστώτων ἀδικούμεθα, ἔτι μέλλομεν ἀμύνεσθαι.*

lit, Plutarch. Alcib. 16: οἱ μὲν ἔνδοξοι μετὰ τοῦ βδελύττεσθαι καὶ δυσχεραίνειν ἐφοβοῦντο τὴν ὀλιγωρίαν αὐτοῦ καὶ παρανομίαν ὡς τυραννικὰ καὶ ἀλλόκοτα. „Hoc si paucissimis verbis significare volueris, nulla aptiora invenies, quam ὕβρις φυτεύει τύραννον."

Deinde ipsa, de qua agitur, stropha altera sententiae nostrae mirum quantum favet. Nam in universum magnum illud religionis studium, quod ibi conspicuum esse supra dictum est, nullo apud Athenienses tempore maius fuit, quam eo, quo nos fabulam actam esse contendimus, Ol. 91, 1 = 415 a. Chr. n., cum Alcibiades propter Hermas deiectas et mysteria violata absens reus factus esset [1]. Facillime autem verba quae sunt οὐδὲ δαιμόνων ἕδη σέβων explicari, si de Hermis in sede turbatis poetam cogitavisse ponamus, nemo negabit. Etiam verba quae sequuntur

δυσπότμου χάριν χλιδᾶς,
εἰ μὴ τὸ κέρδος κερδανεῖ δικαίως

bene de Alcibiade intellegi possunt; quid enim cum his facilius conciliari potest, quam quod idem Nicias apud Thuc. VI, 12 de illo dicit: εἴ τέ τις ἄρχειν ἄσμενος αἱρεθεὶς παραινεῖ ὑμῖν ἐκπλεῖν, τὸ ἑαυτοῦ μόνον σκοπῶν, ἄλλως τε καὶ νεώτερος ἔτι ὢν ἐς τὸ ἄρχειν, ὅπως θαυμασθῇ μὲν ἀπὸ τῆς ἱπποτροφίας, διὰ δὲ πολυτέλειαν καὶ ὠφεληθῇ τι ἐκ τῆς ἀρχῆς, μηδὲ τούτῳ ἐμπαράσχητε τῷ τῆς πόλεως κινδύνῳ ἰδίᾳ ἐλλαμπρύνεσθαι, νομίσατε δὲ τοὺς τοιούτους τὰ μὲν δημόσια ἀδικεῖν, τὰ δὲ ἴδια ἀναλοῦν. Quae vero apud Sophoclem sequuntur:

καὶ τῶν ἀσέπτων ἕρξεται,
ἢ τῶν ἀθίκτων ἕξεται ματάζων,

de mysteriis violatis Hermisque mutilatis dicta esse videantur. Rectissime igitur Musgravius ad v. 883 sqq. haec annotavit: „In his versibus quot voces, totidem fere lineamenta Alcibiadis agnoscas. Quis illo superbior χερσὶ καὶ λόγῳ, qui verborum contumeliis non contentus, nonnullos etiam ex potentioribus viris pugnis cecidit? Quis magis contemptor iuris, δίκας ἀφόβη-

---

1) Cf. ea quae C. F. Hermann in Lehrb. der griech. Staatsaltert. §. 164 n. 16 attulit.

τος? Quis luxuriae, *χλιδῇ*, magis deditus? Denique erga deorum simulacra parum reverentem fuisse, *οὐδὲ δαιμόνων ἕδη σέβων*, vere an falso, Atheniensibus certe persuasissimum erat, siquidem Hermarum mutilatarum reus ad causam dicendam ex expeditione Sicula revocatus est."

Itaque chorus causam factionis eius, quae Alcibiadi adversaria fuit, egit, neque tamen Sophoclem ipsum plane ab his partibus stare recte Schoellius censuit [1]). Atque ut quid de ea re sentiam breviter proponam, Alcibiades sane criminum quae publice in eum congesta sunt falso accusatus neque aliud ei nisi superbia quaedam iuvenilis animi magnumque summorum honorum studium crimini dandum esse videtur; at si quando Athenienses insanam illam expeditionem adversus Siciliam facere instituerant, optimus sane dux qui parvam saltem felicis exitus spem praeberet erat Alcibiades populique multitudo vel maxime contra suam ipsius salutem egit summamque sibi ipsa perniciem paravit, cum ita in eum animadverteret.

Possumus etiam in eo similitudinem quandam inter Oedipum et Alcibiadem reperire, quod utrique exsilium imminebat, sed si utriusque fortunam accuratius comparaverimus, eadem re diversam quoque eam esse apparebit. Multo enim aliter Athenienses Alcibiadem atque Creon Thebanique Oedipum iudicaverunt. Iam igitur poeta quodammodo cives suos admonere videtur, ne indicta causa civem patria eiiciant: nam quanquam nefastum Oedipi facinus omnibus apertum erat neque oraculum tantum sed ipse quoque Oedipus antea gravissimis verbis eum qui Laium interfecisset urbe pellendum esse dixerat [2]), et iam v. 1436 sq. hoc ex Creonte petit, hic tamen cum omnes res adeo perturbatae sint, antequam illum in exsilium abire patitur, iterum deum quid faciendum sit consulere vult [3]). Neque vero sic Athenienses cum Alcibiade. Nam primum iustam certe de eius culpa suspicionem concipere non poterant; deinde cum ipse causam se praesente institui vellet et si quid eorum

---

1) L. c. p. 194 sqq.

2) Cf. v. 236 sqq. coll. v. 96 sqq.

3) Cf. v. 1442 sq.: *ὅμως δ' ἵν' ἕσταμεν χρείας, ἄμεινον ἐκμαθεῖν τί δραστέον.*

fecisse videretur, vel ultimum supplicium subire paratus esset [1]) eosque obsecraretur, ne de se absente calumnias acciperent, sed ut si male fecisset statim interficerent, eisque ante oculos poneret prudentius facturos esse, si se talibus criminibus oneratum non indicta causa cum tanto exercitu mitterent, illi contra ab inimicis eius [2]) sibi persuaderi passi sunt nec iustissimo eius desiderio obtemperaverunt.

Atqui apud Sophoclem Creon, qui antea atrocissimorum criminum accusatus tum vero post ea, quae facta erant, omni culpa liberatus erat, venit amicus atque auxilium fert eidem, qui summa eum iniuria affecerat. Quod nobilis et generosi esse animi facile Athenienses poterant intelligere, nec se recte fecisse, si Alcibiadi quamvis volenti ne iudicium quidem subire permisissent.

Ea vero quae postremo exposuimus non ita dicta sunt, ut Sophoclem id ipsum fabula sua egisse putaremus; teneri tantum volumus etiam haec bene cum eorum quae tum erant temporum conditione conciliari posse, ac si quis cetera recte exposita atque illustrata esse iudicaverit, ne haec quidem tam veri dissimilia esse existimabit.

Ut paucis de illa pestis descriptione cuius momenti sit dicamus, plane Schneidewino assentimur, qui [3]) his utitur verbis: „ich sollte denken, ein Sophocles habe nicht nöthig gehabt die pest erst mitzumachen, um die farben für seine dichtung zu gewinnen: hatten doch seit Ilias A viele dichter dergleichen geschildert, war ihm doch Aeschylos damit vorangegangen." Hinc igitur patet fabulam recenti pestis memoria iam obliterata multis annis post scribi potuisse. Atque quivis unus cum G. Hermanno sentiet, qui [4]) non dubitat, quin Athenienses etiam quatuordecim annis post pestis illius satis memores fuerint.

1) Cf. Thuc. VI, 29 in.: *ὁ δ' ἐν τῷ παρόντι πρὸς τὰ μηνύματα ἀπελογεῖτο καὶ ἑτοῖμος ἦν πρὶν ἐκπλεῖν κρίνεσθαι, εἴ τι τούτων εἰργασμένος ἦν ἤδη γὰρ καὶ τὰ τῆς παρασκευῆς ἐπεπόριστο — καὶ εἰ μὲν τούτων τι εἴργαστο, δίκην δοῦναι, εἰ δ' ἀπολυθείη, ἄρχειν.*

2) Thuc. l. c.: *βουλόμενοι ἐκ μείζονος διαβολῆς, ἣν ἔμελλον ῥᾷον αὐτοῦ ἀπόντοςποριεῖν, μετάπεμπτον κομισθέντα αὐτὸν ἀγωνίσασθαι.*

3) L. c. p. 25.

4) L. c. p. 803.

Caput II.

Particula III.

Iam si ad externa argumenta respiciens, primum Philoclis fabulae rationem habeo, inde contra sententiam meam argumentum repeti posse nullum comprobavi; at eam non multo ante Ol. 91, 2 = 414 a. Chr. actam esse verisimile est, propterea quod ita certe melius ea, quibus Aristophanes in Avibus ad eam alludit, intellegi potuerint. Atque Schoellius multis argutisque argumentis usus sententiam, quae in Terei fabula insit, ad haec tempora aptissimam esse l. c. p. 256 sqq. demonstrare studuit, at eo consilio, ut Sophoclis Tereum ad ea referret. Vel maxime nititur loco Aristophaneo:

τοιαῦτα μέντοι Σοφοκλέης λυμαίνεται
ἐν ταῖς τραγῳδίαισιν ἐμὲ τὸν Τηρέα.

Atqui h. l. Σοφοκλέης magnae mihi est offensioni. Nam primum ubicunque Aristophanes de Sophocle loquitur, ibi cum quadam reverentia sententiam suam proponere solet, quod maxime in Ranis conspicuum est; illud vero λυμαίνεται fortius dictum; deinde etiam pluralis in altero versu mihi displicet, quod unam tantum Tereum Sophocles scripsit. At facillima coniectura his subvenire licet, si pro Σοφοκλέης Φιλοκλέης scribimus. Tum et illud verbum et numerus pluralis, quem de Pandionide tetralogia intellegimus, optime habent, neque hic Av. v. 281 sqq. contra possunt afferri. Haec enim genealogia vituperari non potest, quae consilio poetae maxime faveat:

Upupa Aristophanicus (et ipse Philocleus)
|
Philocles
|
Upupa.

Deinde etiam de numeris versuum fabulae nostrae pauca dicenda erunt, quibus multum in his de tempore quaestionibus tribuendum esse post G. Hermanni curas inter omnes constat. Qui quidem propter versuum conformationem Oedipum Coloneum non post Ol. LXXXIX scriptam esse in Erfurdti ed. Oedipi Regis monuit p. 478. Statuit enim ab hac Olympiade poetas tragicos negligentiores fuisse in versibus formandis, maxime in

trimetris iambicis plures solutiones admisisse. Atque hoc quidem recte dictum, attamen hoc non subito uniusque anni tempore sed paullatim temporumque decursu factum esse unus quisque intellegit. Solutionibus autem illis accurate examinatis Antigonam quadraginta tantum solutiones ex numeratione C. F. Hermanni [1]) Oedipum Coloneum undesexaginta, Oedipum Regem sexaginta quinque ex ea, quam ipse institui, numeratione, solutionibus in nominibus propriis non numeratis, habere videmus. In his duabus fabulis solutiones quidem ex legibus quas vulgo de eis statuunt, omnes permissae quanquam frequentiores, insolentiones tamen nonnullae inveniuntur in Oedipo Rege, quorsum referimus:

v. 719: *ἔρριψεν ἄλλων χερσὶν εἰς | ἄβατον | ὄρος.*
v. 967: *κτανεῖν ἔμελ | λον πατέ | ρα τὸν ἐ | μόν; ὁ δὲ | θανὼν*
v.1496: *τί γὰρ κακῶν ἄπεστι; τὸν | πατέρα | πατὴρ*

quam ob causam hanc transitum quodammodo ad maiorem ceterarum fabularum neglegentiam facere existimamus.

Caput II.

Particula IV.

Oedipum autem Coloneum ante eam scriptam esse statuimus. Sed cum vv. dd. de ea re valde inter se dissentiant, accuratius etiam de hac quaestione dicendum est. Nam contra illam sententiam vel maxime facere videtur, quod veterum testimonia, quae afferri possunt, omnia fabulam quadriennio post poetae mortem Ol. 94, 3 = 401 a. Chr. n. a Sophocle minore doctam, a Sophocle sene scriptam esse testantur. Sic enim in argumento apud Bergkium altero [2]) legitur: *τὸν ἐπὶ Κολωνῷ Οἰδίπουν ἐπὶ τετελευτηκότι τῷ πάππῳ Σοφοκλῆς ὁ υἱδοῦς ἐδίδαξεν, υἱὸς ὢν Ἀρίστωνος, ἐπὶ ἄρχοντος Μίκωνος, ὅς ἐστι τέταρτος ἀπὸ Καλλίου, ἐφ' οὗ φασιν οἱ πλείους τὸν Σοφοκλέα τελευτῆσαι,* quibus possunt conferri, quae in priore exstant argumento: *τὸ δὲ δρᾶμα τῶν θαυμαστῶν· ὃ καὶ ἤδη γεγηρακὼς ὁ Σοφοκλῆς ἐποίησε.* Addi potest locus, qui exstat apud Valerium Maximum VIII, 7, 12, quo Th. Bergkius omnem du-

1) Quaest. Oedip. p. 50
2) L. c. p. 151.

bitationem de tempore quo scripta sit tragoedia eximi dicit, quanquam Bernhardius [1]) quidquam ei tribuendum esse negavit. Iam videamus, quid verum sit. Leguntur illo loco haec: „Sophocles quoque gloriosum cum rerum natura certamen habuit, tam benigne mirifica illi opera sua exhibendo, quam illa operibus eius tempora liberaliter subministrando. Prope enim centesimum annum attigit, sub ipsum transitum ad mortem Oedipode Coloneo scripto. Qua sola fabula omnium eiusdem studii poetarum praeripere gloriam potuit. Idque ignotum esse posteris filius Sophoclis Iophon noluit, sepulcro patris quae retuli insculpendo.“ Atqui id ipsum de quo hoc loco dicitur epitaphium nobis servatum est in vita Sophoclis §. 10: *φασὶ δ' ἐπιγεγράφθαι τῷ αὐτοῦ τάφῳ τάδε·*

κρύπτω τῷδε τάφῳ Σοφοκλῆ πρωτεῖα λαβόντα
τῇ τραγικῇ τέχνῃ, σχῆμα τὸ σεμνότατον.

Nec veri dissimile est, quod Bergkius illo loco allato [2]) dicit non videri epigramma integrum servatum, excidisse potius aliquot versus, in quibus Oedipodis Colonei laudes celebrarentur. Quod recte eum coniecisse ex Valerio apparet, qui id ipsum ab Iophonte sepulcro patris inscriptum esse narrat; at ob eam causam dici non potest in epigrammate etiam de Oedipo Coloneo a Sophocle sub ipsum transitum ad mortem scripta sermonem fuisse. Verba enim, quae sunt apud Valerium „quae retuli“ ad nihil aliud referantur necesse est nisi eo quod Sophocles hac sola fabula omnium eiusdem studii poetarum gloriam praeripuisse dicitur. Itaque hoc loco non magis quam ceteris illis comprobatur apud veteres, cum tempus tragoediae accurate definire non iam possent, famam eam valuisse, ut a Sophocle sene sub vitae exitum scriptam esse alter post alterum memoriae proderet [3]).

---

1) L. c. p. 294.

2) L. c. p. XXIII, n. 97.

3) Dicere hic non possumus, qui a longum est neque multum ad rem nostram facit, de loco qui exstat in vita Sophoclis §. 7, qua Sophoclem senem ab insania, quae ab Iophonte filio crimini ei data sit, Oedipum Coloneum iudicibus praelegendo se defendisse narratur. Quam famam tradunt etiam Cic. Cat. Mai. 7, 22, Plutarch. An seni etc. p. 785 A, Lucian. Macrob. 24, Appul. Apol. 298. Cf. Schneidewin, Sophocles. Bd. 1, p. XVIII sq.

Sed iam ipsarum veterum testimonia ad aliam quoque de tempore fabulae sententiam quaerendam excitaverunt. Nam quae in argumento apud Bergkium [1]) altero post verba, quae supra citavimus, leguntur: *χαριζόμενος οὐ μόνον τῇ πατρίδι κ. τ. λ.* ea ansam praebuerunt viris doctis, ut poetam ad certum aliquod tempus respexisse data opera demonstrare studerent, quamobrem alio tempore fabulam scriptam esse censuerunt.

Itaque C. Reisigius in enarratione Oedipi Colonei p. V—XI [2]) initium belli Peloponnesiaci significatum esse putavit, deinde hanc opinionem eo quo solet acumine usus tueri studuit C. Lachmannus [3]), qui cum Atheniensibus summum periculum et a Thebanis et a Peloponnesiorum foedere immineret, bellum Peloponnesiacum ibi praedictum esse et summam totius fabulae sententiamque principalem non in Oedipi sorte sed in Atheniensium et Thebanorum conditionibus versari, fabulam igitur post Oedipum Regem Ol. 87, 2 = 431 a. Chr. n. doctam esse arbitratus est.

At primum quanquam poetam multis locis ad rerum publicarum conditionem, in qua cives eius illo tempore versabantur, respexisse concedimus, tamen hoc unicum eius per totam fabulam fuisse consilium omnino negabimus. Nam tota fabula sane in Oedipi fortuna tanquam cardine versatur atque singula omnia ex ea bene possunt explicari. Tragica enim sententia, qua nobis ante oculos ponitur, quomodo Oedipus fatum ab oraculo promissum tandem expleverit, universam fabulae actionem arctissimo vinculo continet. Cum iam ad eum locum pervenerit, quo cum deis se conciliatum iri et tandem aliquando finem malorum vitaeque nefastae exitum inventurum esse sperat, summae ei oriuntur difficultates primum ab eius loci incolis, a quibus iam sedem quietam sibi expetit, deinde a duabus illis factionibus, quae de imperio Thebanorum certantes, ut victoriam ei a qua Oedipus stet parti promissam consequantur, eum sive volentem seu invitum in suas manus re-

1) L. c. p. 151.

2) Sophoclis Oedipus in Colono cum scholiis etc. edita ab C. Reisigio. Thuringo. Jenae 1820.

3) Ueber absicht und zeit des Sophokleischen Oedipus auf Kolonos in Rhein. Mus. 1827 p. 313—335.

cipere student; unde etiam cur Polynices Oedipi filius hic interveniat, quod saepius non intellexerunt, facile potest intellegi [1]). Quibus difficultatibus superatis actio nullo iam impedimento ad finem pervenit.

Deinde cum Lachmannus personam tragoediae principalem esse civitatem Thebanorum sibimet ipsam exitium parantem statuat, alia exsistit difficultas propterea quod in postrema fabulae parte tota de hac persona omnino nullus sermo est [2]).

Postremo quod Lachmannus initio belli Peloponnesiaci Atheniensibus summum periculum a Thebanis metuendum fuisse dicit, non recte se habere ipse sensit, cum de Thebanis dicens plerumque foederis quoque Peloponnesiorum mentionem faciat. Sed in fabula hos poeta ne tecte quidem significavit, nam v. 1311 sqq., quibus septem illi Polynicis socii enumerantur, huc referri non possunt, cum illi contra Thebanos ipsos, non contra Athenienses proficiscantur. Neque huc referri posse v. 1534 sqq. Suevernius [3]) demonstravit.

Itaque nulla est causa, cur poetam hac fabula in ipso belli initio civium animos erigere voluisse putemus. Nam loci qui in hac quaestione gravissimi sunt, v. 616 sqq. et v. 1533 sq. [4]) de Thebanis tantum intellegi possunt. Hinc autem apparet Thebanos fuisse solos a quibus nullum periculum metuendum esse et contra eos arma gravissima ipsorum deorum promissis ministrata esse civibus suis Sophocles hac fabula persuadere voluerit.

Cui poetae consilio et ante C. Lachmannum A. Boeckhius [5]) et post eum vel maxime Suevernius eo quem citavimus loco aptiorem occasionem invenire sibi visi sunt in Ol. 89, 4 =

---

1) Cf. Suevernium über die absicht und zeit des Oedipus auf Kolonos in abhandlgg. der königl. akademie der wissenschaften zu Berlin. jahr 1828, p. 6.

2) Cf. Suevern. l. c. p. 4.

3) L. c. p. 13 sq.

4) *χοὕτως ἀδῇον τήνδ' ἐνοικήσεις πόλιν*
σπαρτῶν ἀπ' ἀνδρῶν.

5) Graecae tragoediae principum, Aeschyli, Sophoclis, Euripidis, num ea, quae supersunt, et genuina omnia sint, et forma primitiva servata, an eorum familiis aliquid debeat ex iis tribui. Heidelbergae 1808 p. 187.

421 a. Chr. n., quo tempore Athenienses sibi, quiescentibus Peloponnesiis a Boeotorum potissimum impetu metuisse narrat Xen. Mem. III, 5, 4. Breviter autem consideremus, num valeant ea, quae contra hanc sententiam allata sunt, argumenta.

Primum Reisigius [1]) post cladem Deliensem ridiculum futurum fuisse obiecit, qui Atheniensibus victoriam de Thebanis auguraretur, nam adeo fuisse eos afflictos, ut de victoria plane eis desperandum fuisset. Sed si res eo pervenerat, ut in summis angustiis se versari putarent, unde nulla hominum vis opem sibi ferre posset, tunc profecto erat, cur poeta antiquae virtutis memoria eos erigeret deque patriae terrae aggressione promisso deorum auxilio consolaretur, neque ob eam causam verisimile erat fore, ut pro homine ridiculo atque absurdo haberetur.

Deinde vero Lachmannus etiam ulterius processit: Sophoclem eo tempore civibus impium visum fuisse, si de deorum loqueretur auxilio atque oraculis, quae quidem antea iam nihil valuissent, cum Thebani victoriam de Atticis reportassent [2]). Oraculis igitur promissisque deorum futurum fuisse, ut magis deprimerentur animi Atheniensium quam erigerentur. At contra hoc tenendum est Sophoclem non polliceri civibus victoriam nullis propositis conditionibus; nam si eum sequeris, non totam Atticam a Thebanis incolumem praestat, sed solam urbem Atheniensium. Primum enim quae v. 459 sq. leguntur:

τῇδε μὲν τῇ γῇ μέγαν

σωτῆρ᾽ ἀρεῖσθε, τοῖς δὲ γῆς ἐχθροῖς πόνους, quanquam ea sic recte ab A. Nauckio constituta esse existimamus, tamen si quo loco tunc Oedipus versetur tecum reputaveris, ad Colonum tantum et urbem Athenarum referenda esse censebis; deinde etiam v. 1533 sq. quem supra citavimus non ad universam terram Atticam, sed ad caput tantum regionis spectari neque v. 1764 sq. contra illorum locorum sententiam afferri posse Suevernius [3]) luculentissime comprobavit.

Deinde etiam altera conditio, sub qua Athenienses Theba-

1) Praef. ad Oed. Col. p. VII.

2) Confert Thuc. II, 22: *καὶ ἱππομαχία τις ἐγένετο βραχεῖα ἐν Φρυγίοις κ. τ. λ.*

3) L. c. p. 18 sq.

nos victuri essent, antea nondum impleta erat. Quae quidem non dubiis verbis expressa est v. 1520 sqq. Thebani nondum progressi erant ad Oedipi tumulum, ubi eos inscios in quo solo versentur cladem incursuros esse ille praedixerat. Antea quidem quominus prospera bellum fortuna gererent, nullum exstabat impedimentum, quanquam hanc fortunam non tanti esse faciendam Sophocles monere non praetermisit v. 695 sqq., quo loco primam Peloponnesiorum et Boeotorum irruptionem Archidamo duce [1]) non minus quam Xerxem videtur respexisse.

Sola hic ea restat quaestio, num Sophocles fortasse ita potius se ridendum praebuerit, si civibus spem facere de hostium caede voluisset, qui nisi Colonum venissent, Oedipi iram experiri omnino non possent. Sed ad hanc quaestionem ita nobis respondendum est, ut etiam urbi Athenarum Oedipi corpore Coloni posito praesidium allatum esse dicamus, „quia haec a Boeotis per Colonum potissimum adibatur [2]).“

Unum reliquum est argumentum, quod a compluribus contra eam de qua hic agitur sententiam allatum et in eis locis positum est quibus non solum tum amicitiam inter Athenienses et Thebanos intercedere expressis verbis dicatur, sed ipse Thebanorum civitas propter iuris iustitiaeque amorem laudetur. Huc referunt vv. 616, 619 et vv. 912, 919 sqq., 929, 937 neque eos aut ad id tempus quo fabula scripta esse statuatur aut ad totum poetae consilium illud accommodatos esse contendunt.

At non erat poetae consilium, ut Thebanos hostilem adversus Athenienses animum gerere ostenderet civiumque animos contra eos excitare studeret, sed id solum ei propositum fuisse ex fabula concludi potest, ut civibus deorum ope nihil ab illis metuendum esse persuaderet. Huic vero consilio non contrarium fuisse apparet, si illorum quidem civitatem quamvis eorum unus hostili erga cives suos animo se gesserit amicitia eis coniunctam repraesentaret.

Deinde quod hanc amicitiam cum eo tempore, quo fabulam scriptam esse censeatur, conciliari omnino non posse obiiciunt,

---

1) Quem v. 702 significatum esse putant, sed de lectione non satis constat, ut iam de ea re iudicare possimus,

2) Cf. C. Fr. Hermann. l. c. p. 46 not. 26.

primum id ne necessarium quidem esse iam A. Boeckhius[1]) exposuit, propterea quod illi versus non ad tempus fabulae scriptae, sed ad Oedipi et Thesei aetatem pertineant; deinde non veri dissimile est, quanquam C. F. Hermannus[2]) hanc coniecturam non probavit, quod poetam ideo civitati Thebanorum parcere dicunt, quia ipsa illa aetate factionem aliquam sui studiosam Thebis Athenienses habuerint, quod testari videmus Thuc. IV, 76: *τῷ γὰρ Ἱπποκράτει κ. τ. λ.* neque unquam illis temporibus talem factionem Thebis defuisse constat[3]). Postremo etiam alia quam C. F. Hermannus[4]) iniit via, ut illam difficultatem expediamus, procedere licebit, si omnes locos, qui laudem aliquam Thebarum continent, a iuniore Sophocle additos esse statuerimus.

Ut denique redeamus ad veterum testimonia, tempus quo Coloneum scriptam esse coniicimus Ol. 89, 4 Sophocle annum agente septuagesimum quintum optime congruit eis, quae memoriae prodita sunt, licet non eis quae invenias apud Val. Max. l. c., quae quidem recte A. Boeckhius[5]) perinepta esse iudicavit ac singulis fere vocibus declamatoris indolem vera parum curantem sed ultra modum res exaggerantem cognovisse iure sibi visus est.

Priusquam autem hanc de Oedipi Colonei scriptae aetate quaestionem discutere coepimus, ratione qua metra a poeta conformata sint eam ipsam quam tueri studuimus sententiam vel maxime commendari comprobavimus.

Caput II.

Particula V.

Iam sane quispiam quaesiverit, cur hanc quaestionem, quae a proposito nostro alienior esse videatur, tam longa digressione tractaverimus. At videtur tantum alienior esse, nam ea saltem sententia adhuc a vv. dd. tenetur, qua hanc fabulam Tyranno ut ordine ita etiam aetate posteriorem esse censeant[6]).

1) Ind. lectt. un. Berolin. aest. 1826 p. 6 sqq.
2) L. c. p. 42.
3) Cf. Suevern. l. c. p. 23.
4) L. c. p. 43.
5) Graec. trag. princip. etc. p. 187.
6) Cf. C. Fr. Hermann. l. c. p. 38 not. 3.

Quod si verum esset, ea quam de aetate Oedipi Regis protulimus sententia denuo labefactata esset neque amplius posset retineri. Iam igitur videndum est, num certis firmisque cogamur argumentis, ut Oedipum Regem ante Coloneum scriptam esse nobis concedendum sit.

Inveniuntur sane in Oedipo Coloneo loci nonnulli, qui Oedipum Regem iam scriptam fuisse videntur testari. Nam cum hic poeta v. 1410 sqq. et v. 1436 sq. et v. 1518 Oedipum ipsum exsilium flagitantem fecerit, illic hoc idem Creonti filiisque facit exprobrantem eum ita excusans, ut aliam recentis doloris ac sequentium temporum rationem fuisse dicat [1]. At haec de exsilio dicta ad diversa utriusque fabulae consilia omnino aptissima sunt. In Oedipo Rege necesse erat illum, cum ante v. 229 ei qui Laium interfecisset ipse exsilium minitatus esset, exsilium sibi flagitare, quod cur ei recusatum sit, supra exposuimus; iam vero Colonum venit in exsilium eiectus, Thebani mittunt Creontem ad eum in patriam revocandum, rerum igitur naturae plane convenit Oedipus interrogans: Cur me in exsilium eiecistis, si quidem nunc in patriam restituere studetis? Quod eis obiectum etiam pluris momenti esse apparet, si fabularum narrationem secutus poeta Oedipum statim post detecta facinora in exsilium abire quidem voluisse sed prohibitum, postea vero noluisse et a civium principibus coactum esse dicat. Itaque nobis quidem Sophocles utriusque fabulae actione adductus esse videtur, ut ita rem conformaret; qua de causa non necesse est statuamus Coloneum post alteram fabulam scriptam esse. Si ita ut illi homines docti volunt procederemus, etiam Antigonam post Oedipum Coloneum doctam esse iudicandum esset, propterea quod v. 1409 sq. et v. 1769 sqq. eam quae Antigona continetur actionem significatam esse videmus [2]; quanquam eam fabulam multo ante actam esse satis constat.

Itaque ne hoc quidem argumento prohibemur, quominus illam sententiam de Oedipo Rege retineamus et eam fabulam Ol. 91, 1 = 415 a Chr. doctam esse contendamus.

---

1) Cf. v. 431 sqq. et v. 764 sqq.

2) Cf. Suevern. in abhandlgg. der königl. akad. d. wiss. zu Berlin. 1824 p. 10 sq.